



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Chronicon Montis-Sereni Sive Lavterbergense**

**Mader, Joachim Johann**

**Helmestadi, 1665**

Fvndatio Monasterii Prvmiensis Per Pipinvm Seniorem Qvi Fvit Pater Caroli  
Magni Imperatoris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11088**

plaga in honore Apostolorum Petri & Pauli sexto Idus Septembris, alterum vero in sinistrali in honore Apostolorum Philippi & Iacobi Kalendis Maji dedicavit. Hic etiam quendam nobilem, nomine Bennonem de vicina Soraborum gente in conversum recepit. Qui cum vere perversus existeret, & ab Abbatे s̄aþe correptus emendare nollet, Abbas ad ejus directionem etiam Episcopum advocavit. Qui cum prædictum durius, ut dignus erat, argueret, idem Benno cuncta impatienter ferens in tantam malitiam devenit, ut eundem Episcopum in oratione ante principale altare procumbentem latenter cultello perfoderet. Vnde post triduum venerandus Dei sacerdos quinto Kal. Octobr. anno Domini MCXXIII migravit ad dominum in eodem loco sepultus, quo occisus. Ipse vero Benno non conversus sed perversus mox vivus a Dæmone raptus, nusquam comparuit. Altero abhinc anno, qui est annus Domini MCXXIV. septimo Idus Septembris, dedicata est hæc basilica à Domino Richvino, venerabili Domini Theodorici, nostri fundatoris successore, ordinationis ejus anno primo, & ab Arnaldo Merseburgensis Ecclesiæ Episcopo, & quinque altaria ipso die, principale quidem altare in honore B. & perpetuæ Virginis Mariae & S. Iohannis Baptistæ, sanctique Iohannis Evangelistæ: altare ante chorūm in honore S. Crucis; altare post summum in honore S. Benedicti; in honore S. Georgi martyris in dextra parte; in sinistra vero parte in honore SS. undecim milium virginum, &c. Feliciter. Amen.

---

FVNDATIO MONASTERII PRVMIENSIS  
PER PIPINVM SENIOREM QVI FVIT PATER  
Caroli Magni Imperatoris.

**P**ipinus Francorum Rex, cum esset in venatione in Arduenna super flumen quod vocatur Prumia, venatores suos & canes

& canes à se dimisso ita perdidit, ut nulla ratione potuerit  
scire, quorum divertissent, aut in qua parte eos sequi de-  
buisset. Stupefactus ergo insinum armigeri caput reclinavit,  
& ecce angelus Domini insimilitudine hominis astitit, & di-  
xit ei: Ecce ego nuntius Dei ad te venio, ab eo missus qui mandat tibi,  
ut sic uero signa posuero, ita iacto & posito fundamento ei templum  
in hoc loco adfices, & locum ipsum S. Salvatoris nomine in perpetu-  
um appelles. In crastinum vero cum equitaveris, anos pauperes mo-  
nachos Gracos obvios habebis. Hos rogabis, ut illud, quod ferunt,  
tibi pro amore Dei dare velint, promittens eis retributionem ma-  
gnam, cumque acceperis, eos huc adducere debes, & monasterium,  
sicut me vides ponere signa, ita edificare jube, positis sanctis reliquiis  
in hoc loco. Dabis ergo impensas ad edificandum eis & cuncta ne-  
cessaria vita. Ferunt enim Innocentium corpora tria; partem de-  
cute Apostoli Bartholomei, & multas alias sanctas reliquias. Ve-  
natores, de quibus sollicitus es, ad te venient vespere; & sic, ut im-  
peratur à Domino, facere grato animo procura. Pipinus autem  
animo hilari, ut imperata fuerunt, ita fecit, ubi & curtes  
plurimos, & thesauros magnos conferre studuit, & eo mor-  
tuο trinepos ejus Lotharius Imperator magnifice consumma-  
vit: Vbi & sepultus in pace quiescit.

---

## FUNDATIO MONASTERII SELGEN- STADENSIS.

**H**einardi Cancellarius Caroli Magni Imperatoris, vir egre-  
giæ dignitatis, qui in puerili ætate cum eo nutritus fu-  
erat, & miro ac ineffabili amore se dilexerant, cuius & con-  
filio palatum tunc regium gubernabatur. Hic itaque Heinar-  
dus super Mogonem fluvium Abbatiam insignem fundavit, &  
Selinstat appellavit, & de Roma sanctos Marcellinum & Pe-  
trum apportari fecit, & ibi eos collocavit, & eam Abbatiam  
regno